

---

# Fondazione Prospero Intorcetta Cultura Aperta

---

**470° ANNIVERSARIO DELLA FONDAZIONE DEL  
“PRIMUM AC PROTOTYPUM” COLLEGIO DELLA  
COMPAGNIA DI GESÙ A MESSINA  
(1548-2018) - (DOC. 1) :  
“COPIOSUS IN MISERICORDIA DOMINUS”**

---

*Antonino Lo Nardo*

---



## «*Copiosus in misericordia Dominus*»

Il 16 novembre 1548, a seguito di una “supplica” presentata lo stesso giorno personalmente da Ignazio, viene emanata dal Papa Paolo III la Bolla «*Copiosus in misericordia Dominus*», istitutiva dell’Università degli Studi di Messina, esecutoriata nella cancelleria pontificia il 12 febbraio del 1549 e di lì a poco inviata nella città dello Stretto per il tramite del P. Antonio Vink.

Il testo disponeva che «la scelta, la nomina e la rimozione dei rettori e di tutti gli ufficiali dello Studio, così come i professori, la determinazione dei corsi e dell’ordinamento delle lezioni, nonché di tutti i provvedimenti necessari per il funzionamento di quello fossero di esclusiva competenza della “*Societas Iesu*”». Una pergamena contenente il testo esecutoriato della bolla (in minuta originale conservata nell’ Archivio Segreto Vaticano, reg. lat. 1790, cc. 178r-180v), proveniente dalla Casa dei gesuiti, è conservata presso l’Archivio di Stato di Messina, *Fondo pergameneo*, perg. 118.

La bolla è stata edita più volte (cfr. - tra gli altri - P. Samperi, *Iconologia della gloriosa Vergine madre di Dio Maria protettrice di Messina*, Messina 1646, pp. 207-211; R. Pirri, *Sicilia sacra disquisitionibus et notitiis illustrata*, tomus primus, Panormi 1733, pp. 427-429); la versione qui inclusa è tratta, come si evince anche dal frontespizio da: J. C. Lünig, *Codex Italiae diplomaticus*, tomus secundus, Francofurti & Lipsiæ, 1726, coll. 1353-1358.

# CODEX ITALIÆ DIPLOMATICUS,

Quo non solum

Multifariæ Investiturarum Literæ, ab Au-  
gustissimis Romanorum Imperatoribus Italiae  
Principibus & Proceribus concessæ

atque traditæ ;

Verum etiam




Alia insignia varii generis Diplomata, tam edita,  
quam multa anecdota, Ipsos concernentia  
continentur.

Quæ omnia

*Collegit, ac Elencho Indiceque reali  
instruxit*

JOANNES CHRISTIANUS LÜNIG.  
TOMUS SECUNDUS.



---

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,  
Impensis HÆREDUM LANCKISIANORUM.

1 7 2 6.

hujusmodi, per Nos, & Sedem prædictam pro tempore factis reservationibus, seu affectionibus specialibus, vel generalibus, nec non & Cancellariæ Apost. regulis editis, & pro tempore edendis, & quibusvis constitutionibus & ordinationibus Apost. & Ecclesiarum, & Monasteriorum hujusmodi statutis & consuetudinibus juramento, confirmatione Apost. vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, ac literis Apostolicis per eosdem prædecessores concessis eidem, & per illos, ac Nos super renovatione juris patronatus & præsentandi ad Ecclesias, Consistorialia Monasteria, & alia quæcunque beneficia hæcenus de eorundem

fratrum consilio, & unanimi consensu sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialibus, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel aliqua exquisita forma servanda esset; illorum tenores præsentibus pro expressis & insertis habentibus, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat ac specialiter & expresse derogamus. Cæterisque contrariis &c. Nulli &c. Datum Bononiæ 3. Idus Martii, Pontificatus nostri Anno 7.

## CXLII.

*Pauli III. Pontificis Maximi, Bulla, de Universitatis in Civitate Messanensi erectione atque institutione agens, d. d. 16. Kal. Decembris, Anno 1548.*

**P**AULUS Episcopus, Servus servorum DEI, venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Rossanensi, & Episcopo Salutarum, & dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri, Archiepiscopi Messanensis, in spiritualibus generali salut. & Apostol. benedictionem. Hodie emanarunt literæ tenoris sequentis: Paulus Episcopus Servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. **Copiosus in misericordia Dominus** & in cunctis suis operibus gloriosus, a quo omnia bona defluunt, ad hoc Nobis licet immeritis suæ sponse universalis Ecclesie regimen committere, & nostræ debilitati jugum Apostolicæ servitutis imponere voluit, ut, tamquam de summo vertice montis, ad infima descedentes intuitum, quid pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei orthodoxæ propagationem conferat, quid statui fidelium quorumlibet conveniat, attente prospiciamus, & quibuslibet a fidelibus ipsis præfugatis ignorantie tenebris, illi per donum sapientie in via mandatorum Domini conserventur, solertius attendentes, eos ad quærenda literarum studia, per quæ militantis Ecclesie Respublica geritur, divini nominis & ejusdem fidei cultus protenditur, omnisque prosperitatis humanæ conditio augetur, nostræ sollicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemus. Sane pro parte dilectorum filiorum Nobilis Viri, Joannis de Vega, Pro-Regis Regni Siciliæ ultra Pharus, nec non Communitatis Civitatis Messanæ, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum, postquam ipsi cupientes incolis & habitatoribus dictæ civitatis & aliorum locorum dicti Regni tam circa vitæ & morum probitatem, quam circa lumen & claritatem scientiarum, & pro fide, pietateque Christiana illustranda & conservanda, ac ejusdem civitatis ornatu & decore consulere, nonnullis ex dilectis filiis, sociis Societatis de Jesu nuncupata, per Nos dudum in alma Urbe instituta & confirmata, moribus, vita & scientia comprobatos viros ad eandem civitatem transmitti obtinuerant, proinde considerantes piis dictorum sociorum laboribus maximum in dicta civitate in moribus & doctrina tam latinæ, & græcæ, ac hebraicæ linguarum, quam artium liberalium, ac Sacræ Scripturæ, & Theologiæ scholasticæ, quæ quidem disciplinæ continuis & fructuosis lectionibus per eosdem socios in quodam Collegio, dudum ad id per dictos Joannem Pro-Regem,

& Communitatem in dicta civitate constructo, & postea per Nos erecto laudabiliter ad DEI gloriam, & honorem interpretantur, & leguntur, fructum provenire, dictamque civitatem, quæ inter alias Regni civitates percelebris & valde insignis, ac habitationibus, & omnibus ad victum necessariis abundans reputatur, ita commode sitam existere, ut non solum Siculi, sed etiam Ducatus Calabria, & Regni Græciæ, & aliorum locorum maritimarum incolæ, ad inibi operam literis impendendum, & virtuti studendum, convenire facile & commode possent, salubrem & gratam aëris temperiem, omniaque alia ad universitatem studii generalis requisita inesse, & propterea existimantes, Communitatem ipsam, si in dicta Civitate studium generale, velut focus quidam omnium scientiarum honestarum constituitur, qui a piis & doctis viris dictæ Societatis pure & sine ulla hæresi, aut aliorum errorum admixtione communicetur, majus profecto decus, & majorem spirituales fructum prædictorum Civitatis & locorum ad fidei & religionis defensionem & propagationem esse consecuturam in dicta Civitate Universitatem Generalis studii, in qua unus Rector, qui etiam illius Cancellarius, & Universitatis, & Collegii prædictorum Rector esse possit, & alii officiales, & alia omnia ad Universitatem prædictam regendam, honorandam, & manutenendam, & prout in aliis generalium Studiorum Universitatibus esse solent, in congruente numero existant, in qua Cathedræ diversarum lectionum, & scientiarum ex propriis bonis dictorum Communitatis dotatæ, & omne litterarium genus, ac omnium disciplinarum scientiæ interpretari, & publice legi possint, cum arca & sigillo communibus, & aliis ad similem universitatem necessariis, erigi & institui summopere cupiant; quare pro parte dictorum Joannis Pro-Regis, & Communitatis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicta civitate generalis studii Universitatem hujusmodi (ut profertur) erigere & instituere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostol. dignaremur. Nos igitur attendentes, quod ex literarum studio animarum salutem consulitur, & alia spiritualia & temporalia commoda mundo proveniunt, pium desiderium Joannis Pro-Regis & Communitatis hujusmodi plurimum in Domino commendantes, & quemlibet ex Joanne Pro-Rege, & Communitate

tate praedictis a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis ab iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, in Civitate praedicta, Universitatem generalis studii huiusmodi, in qua unus Rector per Praepositum Generalem deputandus, qui etiam illius Cancellarius & Universitatis, & Collegii praedictorum Rector esse possit, & alii officiales opportuni, & prout in qualibet ex Bononiensi, & Parisiensi, ac Salmaticensi, & aliis Universitatibus generalium studiorum esse consueverunt in convenienti numero existant, & in qua Cathedrae stipendiis dictorum Communitatis constituta, & omnia literarum genera licita & honesta publice interpretari & legi, ac Doctoratus, Magisterii, Licentiatum, & Baccalaureatus, & si qui alii sint gradus quorumcumque aliarum Universitatum generalium studiorum scholaribus & personis idoneis per examen repertis absque alicujus licentia impendi, & offerri possint, cum Collegiis, domibus, aedificiis, officinis, aulis, cameris, cortilibus, divisionibus, & locis ad legendum & exercendum actis, & aliis necessariis auctoritate Apostol. tenore praesentium erigimus, & instituimus, ac eidem Universitati sic erectae & institutae pro illius dote, & dictorum Magistrorum, ac aliorum inibi legentium stipendio & sustentatione omnia & singula bona, & annuos redditus per dictum Joannem Pro-Regem & Communitatem ad id assignanda & deputanda, & tam per ipsos, quam quascumque alias personas privatim, seu communiter donanda, leganda, & relinquenda, postquam assignata, deperata, donata, legata, & relicta fuerint, appropriamus & applicamus, nec non Doctoribus, Magistris, & aliis in dicta Civitate cujuslibet disciplinae Professoribus & auditoribus in matricula ipsius Universitatis pro tempore descriptis & existentibus etiam in eadem Universitate per unum annum non legerint, aut studuerint, ac aliis ministris, rebus, & bonis quibuscumque dictae Universitatis pro tempore existentibus, quod omnibus & singulis privilegiis, concessionibus, favoribus, facultatibus, exemptionibus, & libertatibus, immunitatibus, indultis, & gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus Bononiensis, Parisiensis, Salmaticensis, & aliorum generalium Studiorum, Universitatum huiusmodi ubilibet consistentium Rectores, Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalauri, & alii scholastici, ac familiares, & bona quaecumque ex concessionibus Apostolica, & Imperiali, vel alias quomodolibet, in genere tantum concessis utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, gaudere poterunt in futurum, ipsi quoque Rector, Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalauri, scholares, & officiales, ministri, res & bona quaecumque dictae universitatis aequae principaliter, & absque ulla penitus differentia in omnibus & per omnia perinde, ac si illa eis specialiter & specificè concessa fuissent, ac Doctores, Magistri, Licentiati, & Baccalauri praedicti in Bononiensi, & Parisiensi, seu Salmaticensi, vel aliis Universitatibus praedictis gradus suscepissent, & stu-

duissent, & legissent, uti, potiri, & gaudere, ipsique Societas, vel alius Praepositus quaecumque statuta & ordinationes felix regimen, & salubrem directionem dictae Universitatis concernentia, licita tamen & honesta, quae postquam facta, alterata, mutata, aut de novo condita fuerint, eo ipso Apostol. auctoritate praedicta approbata, & confirmata sint, & esse censeantur, facere, & quoties eis expedire videbitur, alterare & mutare libere & licite valeant auctoritate Apostol. & tenore praedictis de speciali gratia indulgemus, ipsamque Universitatem in Rectoris, & officialium, & aliorum praemissorum constitutione & amotione, nec non lectionum, & Rectorum numero, & qualitate, ac gratiarum & concessionum communicatione, & restitutione, & demum in omnibus & aliis regimini, & administrationi Societatis, vel illius Praepositi huiusmodi, qui per Rectorem ibi constitutum, vel si quem alium ad id miserint, per dictam Universitatem administrent, & regant, eisdem auctoritate & tenore subijcimus, decernentes praesentibus literas ex quavis causa de subreptionis & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae defectu vocari, vel impugnari nullatenus posse, sed validas, & efficaces existere, suosque plenarios effectus fortiri debere, ac sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, & suspensionibus, limitationibus, derogationibus, moderationibus, aut aliis quibusvis concessionibus, etiam per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore factis & concessis minime comprehendendi, sed ab illis prorsus exceptas existere, & quotiens illae emanabunt, totiens in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas esse & censeferi, & sic per quoscumque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam caussarum Palatii Apostol. auditores sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi, atque decidendi debere, irritum quoque, & inane, si secus super iis a quoque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Apostolicis, & in Provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, nec non privilegiis, indultis, & literis Apostolicis, etiam Catanensis, ac praefatis Bononiensi, Parisiensi, & Salmaticensi, & aliis Universitatibus studiorum generalium per quoscumque Romanos Pontifices, etiam praedecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostol. sub quibuscumque tenoribus & formis, ac quibuscumque etiam derogatoriis derogatoriis, aliis decretis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, innovatis, quibus omnibus etiam, si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, & in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogare possit, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inseri foret, praesentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat, harum serie specialiter

iter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, erectionis, institutionis, applicationis, indulti, subjectionis, decreti, & derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis DEI, & B. B. Petri, & Pauli Apostolorum citius se noverit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnat. Domini 1548. 16. Calend. Decembris, Pontificat. nostri Anno 15. Quo circa discretioni vestræ per Apostol. scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios, per insertas literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando expetiti fueritis, ac quotiens pro parte Joannis Pro-Regis, & Communitatis prædictorum, vel alicujus eorum desuper eorum fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate nostra literas & in eis contenta hujusmodi plenum effectum sortiri, & ab omnibus inviolabiliter observari, & singulos, quos ipsæ literæ concernunt, illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper, & per quoscumque quomolibet indebito molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras Ecclesia-

stias, & alia juris opportuna remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; Non obstantibus præmissis & felicis recordationis Bonifacii P. P. VIII. prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diocesis ad iudicium evocetur, seu, ne Judices a dicta Sede deputati extra civitatem, vel diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, ac de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis, vigore præsentium ad iudicium non trahatur, ac aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communitè vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostol. non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Romæ apud S. Petrum an. Dom. Incarn. 1548. 16. Cal. Decemb. Pont. an. 15. 70. Milesi pro R. 70. Baptista de Bernardis Marchesanus B. de Milins. execut. in urbe Panor. 14. April. 8. Ind. 1550.

## CXLIII.

*Philippi II. Hispaniarum Regis, Diploma constitutionis Vicarii Regis in Regno Neapolitano, de Anno 157-.*

**P**hilippus DEI gratia Rex, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Cum in singulis Regnis, quæ DEus optimus maximus sua benignitate Nobis commisit, uno eodemque tempore præsentibus esse non possimus, in hoc omni cogitatione & cura incumbimus, ut eos viros ipsorum gubernationi præficiamus, quorum consilio & virtute quam optime administrarentur. Cumque fidelem Nobis dilectum Don Joannem de Zupica, Principem Petræ Perfæ, ac majorem Commendatarium ordinis S. Jacobi de Spata in Provincia Castellæ, qui munus Vice-Regis, Locumtenentis, & Capitanei generalis in fidelissimo nostro Regno Neapolis, nostra cum gratia, sua magna cum laude, ac Regni ipsius utilitate, gessit geritque, ad Nos accessit iusserimus, necesse porro fuerit eidem muneri virum præponere non solum veteri & illustri prosapia, sed etiam magna morum gravitate, ac longo rerum usu & experientia commendatum, qui rebus pro temporibus consulat, & ea, quæ Regni tuitionem, ac populorum pacem salutemque respiciunt, recta ratione provideat. Hæc cogitantibus Nobis, & accurate omnia circumspicientibus, Illustris consanguineus noster, Don Petrus Gironus, Dux Ossunæ, Comes Ureniæ, Marchio de Pennafiel, fidelis Nobis dilectus, ante alios summos & singulares viros, occurrit aptus, quem tanti Regni administrationi præficeremus. Ejus enim prudentiam & æquitatem, cum non vulgari pietate & fide conjunctas, præter majorum suorum decora & ornamenta, multis variisque in rebus cognitatas & perspectas habemus. Ipsum itaque eligere voluimus, a quo tam præclarum & fidelissimum Regnum, tot florentissimæ urbes, tot tantique viri, Principa-

tum, Ducatum, Marchionatum, Comitatum dignitates, atque alios honorum titulos sustinentes, gubernentur atque regantur. Tenore igitur præsentium, de certa scientia Regiæque auctoritate nostra deliberate & consulto, ac ex gratia speciali, maturaque sacri nostri supremi Consilii accedente deliberatione, præfatum Illustræm Ducem Ossunæ, Comitæ Ureniæ, Marchionemque de Pennafiel, ad unum triennium a die captæ possessionis computandum, Vice-Regem, Locumtenentem generalem nostrum, a latere nostro dextero sumptum, personamque nostram & alterum Nos representantem, armorumque Capitaneum nostrum generalem, tam in mari, quam in terra, in dicto nostro Sicilia contra Pharam Regno, facimus, deputamus, creamus, constituimus & ordinamus; Ita ut deinceps dicti triennio durante, sit Vice-Rex, Locumtenens & Capitaneus generalis & alter Nos in dicto Regno, ac vice, loco, & nomine nostris, & in personam nostram præsit & præferatur omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatibus, ac Religiosis personis; nec non fidelissimæ civitatis nostræ Neapolis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, aliisque civitatibus & terris & universitatibus, ac universis & singulis tribunalibus & officialibus nostris, & aliis personis, tam majoribus, quam minoribus, quovis officio, dignitate, auctoritate & gradu atque conditione distinctis, & præcipue castrorum Castellanis armorumque nostri terrestres exercitus, & maritimæ classis Capitaneo. Dantes & concedentes eidem Duci amplissimam auctoritatem & potestatem, ut nostris vice, nomine & auctoritate, & tanquam persona nostra & alter Nos, possit & valeat

super